

Em 432

130
43

PIETAS
IMMORTALI MEMORIAE
INVICTISSIMI
IMPERATORIS
CAROLI VI.

ROMANI IMPERII SEMPER AUGUSTI,
GERMANIAE, HISPANIAE, HUNGARIAE,
BOHEMIAE REGIS, ARCHIDUCIS AU-
STRIAE, DUCIS BURGUNDIAE
ET SILESIAE, RELIQUA,

IN
JOANNEI HAMBURGENSIS
AUDITORIO MAJORI

PRAESTITA
A
JOANNE SAMUELE MULLERO,
RECT.

HAMBURGI,
TYPIS CONRADI KÖNIGII, AMPLISS. SENATUS,
GYMNASII ET SCHOLAE TYPOGRAPHI.
MDCCLXI.

Av

181

PIETAS
IMMORTALI MEMORIAE
INVICTISSIMI
IMPERATORIS
CAROLI VI.

ROMANI IMPERII SEMPER AUGUSTI
GERMANIAE HISPANIAE HUNGARIAE
BOHEMIAE REGIS ARCHIDUCIS AU-
STRIAE DUCIS BURGUNDIAE
ET SILESIAE REX

IN
JOHANNI HAMBURGENSIS
AUDITORIO MAIORI

PRESENTATA
A
JOHANNI SAMUELE MULLERO
RECT.

HAMBURGI
FRID. CORRADE KÖNIGL. AMPLISS. SENATUS
GYMNASII ET SCHOLAE LYCEAE



PERILLUSTRI
ATQUE
MAGNIFICO
REIPUBLICAE HAMBURGENSIS
SENATUI.

Hos si, de fronte ferens
Auditis, veritas tunc accipienda est
Fortunas laudabo meas, et veritate libus
Me totigisse putans, praestari dividid opellae
Pono a me poterit, VOBIS Vixisse laudabo

ILLUSTRES PROCERES,

PERILLUSTRI
ATQUE
MAGNIFICO
REPUBLICAE HAMBURGENSIS
SENATUS

Hos si, qva fronte serena
Audistis, versus nunc accipietis eadem,
Fortunas laudabo meas, et vertice fidus
Me tetigisse putans, praestari quidquid opellae
Porro a me poterit, **VOBIS** Vrbiqve sacramento.



Invicti CAROLI, quo non praestantior alter
Romani Imperii praefes servator honesti
Justitiaeque fuit, quem nuper regia coeli
Perpetuo clarum virtutis honore recepit,

Res memorare jubet pietas. Qvi nostra voluptas
Maxima vivus erat, dubiis nunc rebus acerbo
Ereptus fato, fit maxima causa doloris,
Maxima fit gemitus. Humiles ne spernite laudes,
AUGUSTI Manes! Decora immortalia fas sit
Tangere, et e multis aliquot depromere facta.
Quamvis non desint meliorum carmina vatum,
Qvis tamen illius digne celebrabit honores?
Aut CAROLI famam se extollere posse putabit?
Seu stirpis praeclara tuae primordia dicat,
Splendorem Austriadum, Hapsburgorum ab origine gentis?
Seu potius mores referat, quod laudis avitae,
Quod patriaeque memor, non lusus inter inanes,
Aut molles luxus primum contriveris aevum;

B

Sed

Sed puer addictus studiis, feliciter artes
Ingenuas tractans & summo principe dignas,
Optima clarorum veterum monumenta virorum
Legeris; aut artes belli, praeceptaque durae
Militiae doctus fueris, qvaeli aggere muros
Infestet, qvanam ratione aut stringere pro re
Nata aciem ductor belli, aut diducere, qvonam
Castra locare modo, vallum praetendere castris,
Evitare hostes, ultroqve laceffere eosdem
Possit; et innocua jam tum sub imagine pugnas
Luseris, et magnis animi qvoad motibus annos
Antegressa tuos virtus spem vicerit ipsam?
Illa qvidem si multa canat, si maxima condat,
Plura tamen cantanda illi et majora supersint.

Ergo qvoad puero nemo spondere fuisset
Ausus, ad huc natu majore superstite fratre,
Mox inopinanti tibimet Deus obtulit ultro,
Et capiti diadema, et multa et maxima regna.
CAROLUS, Hesperiae sceptro qvi temperat arces,
Se sine prole videns, nostrum, utpote sanguine eodem
Austriaco genitum, nati dignatus honore,
Destinat, imperio populis qvi praefit Iberis.
Has nimium laetas oculo res spectat iniquo
Invidia, et nati dum blanda voce moratur
Discessum mater variis obnoxia curis,
Nil intentatum linqvuit, nil deniqve inausum,

Consilia

Confilia ut rumpat populi suscepta saluti.
Solicitat pretiis animos et munere palpat,
Fraudibus inventis alias superaddere fraudes
Haud cessat, donec tandem fabricantur iniquae
Hae testamenti tabulae, quibus hostis Iberi
Nominis in CAROLI titulos et jura vocatur.

Exarsere faces belli. Ut juvenilibus annis,
Viribus exsuperans nec non virtute feroci
Bellatrix aquila, et rostro aequae ac ungue volantum
Jam metuenda gregi, celeri super aethera lapsu
Attollit sese, atque indignans fertur in hostem,
Qui praedam eripuit, nidusve invasit avitos;
Sic CAROLUS, patrios fines atque arva relinquens,
Difficili terras et lata per aequora cursu
Tendit in Hesperiam, belloque et fortibus armis
Hostem persequitur, promptusque ad munus utrumque
Militis atque ducis, populos urbesque reposcit.
Hispani, quorum melior sententia menti est,
Gratantur venienti omnes, se legibus ultro
Subjiciunt, dominumque suum laeto ore salutant.
His ut confuleret, quos non haurire labores
Ille est aggressus! quam servantissimus aequi
Jura dabat populis! His sese credidit unis
Natum, non soli sibi, nec ferventior aetas,
Flexilis in vitium, praecclaris obstitit ausis.

Qvalis saepe nova nimium dulcedine captus
Occupat aurigae puerili corpore sedem,
Et sibi concessum juvenis moderamen eqvorum
Incautus gaudet, pronusqve remittit habenas,
Nec stimulis parcit nec voci, incendat ut acres,
Et jam sponte sua nimium properare volentes
Qvadrupedes. Sine lege ruunt, tritumqve relinquunt
Illi iter et manifesta rotae vestigia, et altos
Nunc superant colles, nunc per decliva feruntur.
Is vero arbitrio alipedum raptatus eqvorum
Sede sua excutitur praeeptis, lorisqve retentum
Corpus, mox foede laceratum, spargitur arvis.
Talis et haud raro regnorum fraena capeffens
Non fervare modum novit finesqve tenere,
Non sibi, non aliis rector praeeffe, sed omnes
In partes rapitur, coecae qvocunqve lubido
Mentis eum stimulis ingensqve potentia raptat,
Qvam propria tandem luit imperiique ruina.
Fortunate animi CAROLE, haud te blanda voluptas,
Haud te laeta malis alienis invidia, haud te
Vicinos fines vastandi dira cupido,
Haud bellatoris ventosi gloria inanis
Abstulit in praeeptis; populis impendere vitam
Officiumqve seqvi, tua vita et secta fucere,
Conscia nec lenes turbarunt pectora somnos.

Urbs

Urbs antiqua jacet, duplici firmissima muro
Celsisque aggeribus, cunctis & rebus abundans,
Barcino, romanis jam concelebrata vetustis.
Haec belli placuit sedes, hinc mittere partes
Auxilia in varias, quo res tempusque requirat.
Hostis ut hanc totam, qua terra cingitur, urbem
Claudat, ab extremis perducit brachia castris
Ad pelagum, aqve mari illam claudit gallica classis.
Concutit excelsos urbis jam bellica muros
Machina, sulphureos quae faucibus evomit ignes,
Infestasque faces, piceaeque volumina flammae,
Terribilesque globos ingenti pondere saxi.
Hi, qualis rupes, quam summo vertice montis
Abscidit impulsus ventorum, cuncta ruentes
Mole sua frangunt, solido & fundamine quassas
Evertunt aedes, ut terra fragore tremiscat
Horrifico, & strepitu turbata remugiat aura.
Tum vero volitantum hinc illinc ingruere imbrem
Telorum, ardentisque vident ubi stridere glandes,
Et laceros ustosque artus, avulsaque faxa,
Disiectas moles, & tecta cadentia, mille
Vulnera, mille neces, & mortis mille figuras;
Tunc proceres adeunt CAROLUM, bellique Senatus,
Jam satis exhaustum est, inquit, rex magne, laborum,
Sat laudis partum est, animae sat prodigus ejus,
A qua tot pendet populorum vita, fuisti.
Hic nihil est tutum, planctu miseroque tumultu

Omnia miscentur; coecos penetrare recessus
Nil prodest; secreta loca occultaeque cavernae
Mortem non arcet; crebro repetita sed illas
Fulmina perumpunt latebras, & terra dehiscens
Obruit inclusos, avidoque absorbet hiatus.
His decede locis! Fatis quis quaeso superstes
Esse tuis poterit? Tam saevo a Marte remotum
Si te noverimus, tunc demum haec moenia nobis
Intrepida prorsus defendere mente licebit.
Is vero regerit: Sic virtus nostra fidesque
Vobis perspecta est? Numquid mihi tutius unquam
Vos, quam militibus, quam civibus esse putatis?
Stat mihi, fulminibus tantis tantaeque ruinae
Non absens potius praestare caput volo, Vestra
Non fatis est tutum absentemque audisse pericla,
Aspiciam praefens discrimina, et ipse subibo.

Haec fatus vallum ingreditur, quod scandere tentat
Hostis, & impavidus per flammam fertur & enses
Oppositos CAROLUS. Monitu ruit actus in omne
Intrepidus civis fatum. Ceu surgit in iras
Iretitus aper vastaque indagine cinctus,
Igne micant oculi, spumans & saevit adunco
Dente, eqvites et eqvos et multa strage molossos
Disjicit, et casses, positarum et lina plagarum
Vi magna rumpit; Sumtis sic acer in armis
Et clausus civis fremit, ac divendere vitam,

Hostili

Hostili minimum vult fangvine, spemque salutis
Una re quaerit, nullam quaerendo salutem.
Nil gladios globulosque timet, vi saepius usus,
Quondam etiam tacitae per amica silentia noctis
Se promens latebris, oppugnatoribus ingens
Damnum infert. Magnus furor additur hisce, nec ullum
Telorum interea cessat genus, integra pubes
Succedit fessis, & inundant fangvine fossae,
Gallorumque rates flammam ad moenia jactant.
Denique subsidio pressis venit anglica classis,
Aufugiunt hostes, et ab obsidione recedunt.
Laetitia illius quis tandem fando diei
Audeat exprimere? aut aequare ea gaudia dictis?
Pandere nunc portas juvat, atque excedere claustris,
Littus desertum atque hostilia cernere castra.

Inter apes veluti quum vere ineunte duobus
Regibus adversis ingens discordia surgit,
Quaeque suum sequitur ductorem, omnisque relictis
Turba fluit castris, hostem stridore laceffens,
Nec prius absistunt animis concurrere & armis,
Quam patriis fufum victoria pellat ab oris;
Sed quae pars aliam victrix dare terga coegit,
Laetitia exultans in cerea moenia regem
Ducit, & ingenti fonitu quasi júbila tollit:
Sic postquam longo solvit se Barcino luctu,
E campis cives iterum ingrediuntur ovantes

Moenia. Nulla dies illi celebratior unquam
Illuxisse urbi perhibetur. Carmina cantant
Ingenium faciente mero, convivium curis
Omissis securi agitant, plausuque faventum
Et strepitant aedes, et regia consonat omnis.
Nec belli interea curas deponit, et hostem
Victor persequitur fugientem & cursibus urget.
Et quamquam egregia haud semper successibus aequis
Gaudent consilia, & communi Marte geruntur
Bella atque ancipiti, redimitus tempora lauro
Hic plerumque tamen redit, & sua iusta laborum,
Tot captas urbes, regni sedemque Madritum,
Praemia habet CAROLUS. Quam tunc proclive fuisset,
Post fractas Galli vires, Lodoicis et altos
Depressos animos veniam pacemque precantis,
Finibus Hesperiae detrudere speque Philippum
Regni! Ast opponit sese, mediosque triumphos
Invidia abrumpens, conatus reddit inanes.

Praepropera Caesar decedit morte JOSEPHUS,
Regna ejus fratri tunc sanguinis, atque favoris
Suffragatorum debentur jure. Verentur
Propterea gentes, ne tot regionibus audis
Europae nimium sit formidabilis omni.
Foedere decedunt, et Iberica scepra Philippo
Burbonio tradunt, in quem prius arma movebant.
Tunc Germanorum post multos redditus annos

Finibus

Finibus optatis, hic tantae pondera molis
Immota cervicē tulit, tot sceptrā lacertis
Gestavit validis, fraternis moribus orbem
Et patriis moderans, utriusque in nomen iturus.
Majestas erat in vultu, sed gratia in ore
Non minor, in dictis sincerus candor, in actis
Fallere nescia mens, prudentia nescia falli,
Intemerata fides constansque in foedere pacto.
Hunc metuere hostes, hunc dilexere sodales,
Summa fuit semper cura huic, avertere bellum,
Consilii placidis patriam pacemque tueri.
Ast quum ferro alii rupissent pacta nefando,
Ambitione levi ducti; capit arma, furoresque
Injustos cohibet. Venetis nova bella parabat
Consiliis pravis et spe commotus inani,
Non fidei memor ac jurati Numinis olim,
Turca ferox. Peloponnesi grassatur in agris,
Undique et infestos intentat moenibus enses;
Haud secus atque aestate avidi factō agmine cervi,
Sopito agrorum custode, per arva ruentes,
Triticeas segetes, et luxuriantia campo
Conculcant passim pedibus frumenta protervis,
Divitias Cereris, speratamque ore voraci
Praecerpunt messē, fleturi vota coloni.
Auxilio afflictāe genti, qui foederis icti
Lege tenebatur, Caesar venit, injicit hosti
Terrorē, immittitque fugam, flamma oppida cingit,

D

Et

Et te Belgradum, te Temesvaria, multaqve
Expugnat castella manu, atqve incendia Martis
Exstingvit, Turci ut praeferrerent verba precantum:
Dum procul Hungariae parat hos avertere ab oris,
Plane improvifis foedisqve invaditur armis
Sardorum infula ab Hispanis, annoqve fequenti
Trinacria. At Caesar collecto milite terras
Ereptas Anglorum adjutus classe recepit,
Et pro Sardinia Siculorum ditior ejus
Infula subjicitur fceptris. Huc usqve benigno
Vultu illum femper fortuna aspexerat, annis
Extremis autem vitae malefida receffit.
Dum res Sarmaticas, Augusto rege peremto,
Distractis animis studia in diverfa, reducit
Ad pacem, infurgunt Hispanus, et Allobrogum dux;
Et Gallus, magnasqve acies in praelia mittunt,
Et multas urbes ferro sub jura redactas
Affertasqve fcebi dura ditione coercent.

Sic leo victricem multis obvertere palmam
Affolitus, fulvaeqve jubas cervice comantes
Effundens, ungues atqve horrida dentibus ora
Spernit securus; fed qvum socialia jungunt
Plures arma hostes, nec quidqvam tale timentem
Aggrediuntur eum, qvamqvam huc obverfus et illuc,
Vulnerat hunc pellitqve alium, tamen impete fertur
Tertius in fauces frustra victoris, et haeret,
Et

Et reliqui redeunt, nunc, nunc impune leoni
Insultare feras credentes posse minores;
Ter mugit quassatque jubas, ter tetra rudente
Montes, silvae atque antra tremunt, terque aura remugit.
Quum Gallus posthac promittit reddere pacem,
Vanam gloriolam reliquis moderatior ille
Communi patriae non vult praeferre saluti.

Idem quum Turcis, sociae qui foedera genti.
Russis fregissent, occurrit fortiter armis,
Belgradum oppugnant, quod iis, (quo, nescio, fato,
Aut praestat reticere) infausta pace relictum est.
Has duras leges animo fert Caesar iniquo;
Sed ne vel minimam speciem praerberet avari
Fallacisve animi, non tentat rumpere pactum
Foedus; damna pati mavult, hoc clarior ipso,
Quod res adversas aequae, quam ferre secundas
Noverit; ut longe majorem nauta meretur
Laudem, qui pulsu undarum unda, tonitribus aether
Quum strepit, et puppim dubius ferit undique pontus,
Impavidus pelagique minas ventosque furentes
Aspicit, et modo frangit aequam, modo cedit eidem,
Navem jam laceram sic servans. Hei mihi quantum
Praesidium, hei! quantum decus, o Germania, perdis!
O quam planxerunt, et fletibus ora rigarunt
Rhenus cum Viadro, Moenusque, Visurgis & Isther!
Ipse suis lacrimis increvit turgidus Albis.

O ter sancte Deus, cujus moderamine constant
Imperia ac gentes, afflictiis suffice rebus
Tu mox rectorem, qui rursus fulciat illas.
Namque iterum bello tellus nunc horret et armis,
Nunc iterum humano foedantur sanguine campi,
Et, nisi succurris, longe graviora parantur.
Saltem illi gemitus miserorum, illi undique fletus
Infantum, pravo qui non discernere rectum
Norunt, te moveant! Tandem miserere tuorum!
Jungant concordēs aeterna in foedera dextrās
Europae populi, Stygiis quos orta cavernis
Dividit, atque odiis armat discordia tetris.
Innumera HAMBURGUM stabilem per secula sedem
Esse jube, nostris nec desint moenibus unquam
Praestantes virtute viri, qui publica curis
Commoda confirmant, ac fas tueantur et aequum.
Suffice praecones, jura intemerata salutis
Qui tradant, coetusque hominum tua verba sequentes.
Has etiam Musas, atque hocce tuere Lyceum,
Ingenui pariter juvenes fidiq̄e magistri
Ut doctas possint audire et reddere voces,
Utque illis studiis, quibus hic operamur, honestis
Illustris fiat tua laus et gloria.

D I X I.



78M 378

ULB Halle


003 076 938

3



100
43

PIETAS
IMMORTALI MEMORIAE
INVICTISSIMI
IMPERATORIS
CAROLI VI.



SEMPER AUGUSTI,
PANIAE, HUNGARIAE,
IS, ARCHIDUCIS AU-
IS BURGUNDIAE
AE, RELIQUA,

IN
AMBURGENSIS
PIO MAIORI

ESTITA
A
UELE MULLERO,
ECT.

BURGI,
IGII, AMPLISS. SENATUS,
HOLAE TYPOGRAPHI.
CCXLI.

AK

